

Letter 522: 9 November 1533, Augsburg, Gereon [Sailer] to Capito and Martin Bucer

The autograph original of this letter is in Strasbourg AVCU, 1AST 157, pp. 397–9.

Salvete, optimi viri. De ecclesiae nostrae lacera dissipataque facie scripsi saepius, sed quid ego scribendo et vos legendo poterimus eam iuvare? Quando malum hoc ab illis pendeat qui soli et possent et ex professo deberent eam iuvare; sed hac de re iam deplorata satis. Miseret me Musculi quod hominis ingenium, ad multa pronum, inter tot spinas vix evadat submersionem. Sebastianus pro sua in rebus agendis prudentia multa cum summo moerore videt.

Aliis apud nos turbis accedit libellus quidam latinus apud scepticum illum Erasmum natus, qui Euripi more omnia sursum ac deorsum movet, et ita scribit ut omnes sectae eum explodant. Certe si huic Erasmiano instituto obsequentur ecclesiae, multi inique corpora lictoribus et carnificibus prebuerunt, multi cum summa et fortunae et animae iactura paternos reliquerunt agros; quantum ad me attinet, ego imprudenter nimium papistis hactenus sum reluctatus, nam si pii est animi credere Christum, ut hic per vivos olim sanctos ad eiiciendos demones motus est, ita etiam mortuorum sanctorum intuitu nobis largiri quaevis, ita enim paralogisatur Erasmus. Quare tantis tamque sanguinariis hactenus digladiationibus controversum est, solum Christum intercessorem, etsi ceteri advocati non ob aliud, ob hoc tamen precipue essent eliminandi quod ab confidentia in Christum avocant? Et quare hoc ipsum persuasionis infirmum argumentum beatus Ambrosius tam serio destruit et oppugnat? Item benevoli, scribit Erasmus, esse animi defunctorum habere curam. Quare ante aliquot annos non admissum est hoc benevolentiae argumentum? In Machabaeo praeterea, quomodo illa laudabitur benevolentia, utcunque apud carnem piamque praeter scripturam aliam docet aliorum etiam praeter damnatos et beatos mansionem? Quare loci scripturae, ut est ille, *non exibis inde donec solveris ad ultimum quadrantem*, et *Qui peccat in Spiritum Sanctum nec hic nec in futurum*, etc. Quare, inquam, hi papistarum gladii totius orbis tanto motu sunt eis erepti, si missae¹ aliquot tantum privatae ut de corona spinea, de preputio Christi, etc., sunt tollendae? Quare in universum omnes apud aliquos sunt sublatae? Si ex missa, ut Erasmus lallat, sequentiae quedam ineptae sunt demendae, si organorum strepitus et musices symphonia sunt tollenda, quare tanta sevicia canonem impietatis Lernam oppugnarunt theologi? Si missa Dominicae Cenaee non est adversa, quare abrogaretur? Si missa longe alia habet quam coena a Domino instituta tollenda erit sive publica sit sive privata.

Dicunt aliqui libellum hunc non tantum versum, quod tamen non posset esse absque multarum offendiculo, sed etiam a vobis commendatum, quod penitus esset intollerabile. Ferunt aliqui in officina pharmacopolae Wircungi libellum nuper pluribus presentibus Germanice lectum, et fere rabiem plerosque esse concitatos ob inconstantes praedicatorum animos. Talia faciunt plerosque in hec prorumpere verba: Proh Deum atque hominum fidem theologi animas negociantur nostras, postquam satis atroci luserunt tragoedia et quando iam nullo habito adversario lentius consenescent, futurum est, ut pedetentim ad pristinos relabantur errores. Optimi fratres, ego certe video rem esse periculo plenam. Quodsi libellus germanicus, nondum tamen a me visus, ita esset commendatus, praestaret eum non versum; neque consulo ut ad nostros mittatur, praesertim consules quando alioqui harum rerum saturi, dicerent: “En quid nos nostro tentarem periculo in tanta rerum inconstantia,” etc. Dialogos Buceri desideramus. Valete et me, ut facitis, amate. Augustae. IX Novembris anno MDXXXIII.

Verte.

¹ Corrected from “missiae”.

Iam aliquoties ad vos scripsi, penes me esse scholia in Therapeuticam Galeni doctissima, et ut Galeni argumentum in hisce libris varia et omniuuga eruditione refertissimum est, ita scholia sunt multarum literarum lectione ornata. Hec essent procudenda. Scio certo omnino esse vendibilia, cum quod medicus non meretur dici, qui Therapeuticam Galeni non legerit, etiamsi totum Avicennam devorasset. Tum quod liber difficilis et ob id non omnibus apertus est, et tum scholia antehac nulla sunt in hunc librum aedita nec etiam tentata, quare vos rogo, ut omnem impendatis operam quo liber ille typis excusus prodeat. Abeant in malam crucem Tacuini, Rases et Averroes apud vos excusi, si ad hec scholia conferantur. In summa, nihil est abstrusum, sive medicas, sive bonas litteras, respicias, quod non sit per hec scholia revelatum. Praemittitur in vestibulo libri epistola Erasmi Roterodami ad auctorem super quibusdam adagiis apud Galenum, in Chiliadibus non expressas, scripta nuncupatoria ad Leo[nardum] Eck[i]um a Wolffs et Randecken sequitur, etc. Exemplar gratis dabitur. Agite in hac re pro studiorum commodo et medicinae tersioris restauratione et barbarae condemnatione. Facite me quoque certiore quid sperandum sit. Graeca quae textus desyderat sunt apposita. Quare eum oportebit deligere chalcographum qui graece etiam possit excudere. Valete iterum et Othonem, Michaellem, Hoedionem, Wilibaldum, etc., salvere iubete.

Geryon vester.

[Address]: Praestantissimis viris D. Wolphgango Capitoni et Martino Bucero, theologis Argentoracensibus, dominis et fratribus synceriter dilectis. Capito oder Marin Butzer.